

FERFRIDVS COMES IN ZOLLERN.



Ferfridus ex nobilissima Columnensium familia apud Romanos oriūsus, quæ semper Germanorum & Cæsarum causas fouerant. Cum autem Ferfridus ille prudentia & pietate insignis ab aduersa factione premeretur, huius contentions pertæsus, omnia bona sua mobilia collegit, & in Sueuiam ad Germanos profectus est. Ibi cū eius gentis mores & linguam didicisset, circa annū Domini 1040, ad Heinricum eius nominis tertium Cæsarem peruenit, atq; suam innocentiam & portis aduersæ importunitatem declarauit. Cæsar itaque ipsum bono animo esse iussit, atq; ut in Germania perseueraret, montem eum ubi postea arx illa Ho-

henzollern ædificata fuit, cum adiacenti ditione dono dedit, quædam etiam Imperij uectigalia ei assignauit, atq; ab iisdē comitem uectigalium, quod Germani Zollen uocant, constituit. ea tamē lege, ut ea omnia feudi nomine cum sua posteritate ab Imperio possideret.